



PAENITENTIARIA APOSTOLICA

Prot. N. 589/12/I

DECRETUM


PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Benedicto Divina Providentia Papa XVI tributarum, attentis precibus Petri Santoro, Episcopo Marsorum, de caelestibus Ecclesiae thesauris *plenariam* largitur *Indulgentiam*, omnibus et singulis christifidelibus lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint dummodo, vere paenitentes, confessi ac sacra Communionem refecti, Transaquis, ad lacum Fucinum in Marsis, paroecialem Basilicam, sub tit. Ss. Caesidii et Rufini, anno MCDLXXII erectam, in forma peregrinationis inviserint et ibi alicui sacrae functioni devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei, invocationibus B. Mariae Virginis atque Ss. Caesidii et Rufini: **a.**- Feria II infra Octavam Paschae; **b.**- Feria II post Dominica Pentecostes; **c.**- die XXXI Octobris, in festo Sanctorum Patronorum.


Paroeciae Fideles, senectute, morbo vel alia gravi causa impediti, *plenariam* consequi valebunt *Indulgentiam*, concepta detestatione cuiusque peccati, et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, dummodo ante aliquam parvam Sanctorum Patronorum imaginem, celebrationibus se spiritualiter adiunxerint, precibus atque doloribus suis misericorditer Deo fiducialiter oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut sacerdotes, quibus pastoralis cura Paroeciae concredita est, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant et S. Communionem infirmis saepe ministrent.

Praesenti *ad septennium* valituro. Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XXII mensis Februarii, Cathedrae Sancti Petri festo, anno Domini MMXIII.


EMMANUEL S. R. E. Card. MONTEIRO DE CASTRO
Paenitentarius Maior


Joannes Maria Gervais
Ad. a. Stud.